

**Habitus iuridicus monasteriorum Ordinis ad Episcopum,
ratione curae animarum eis concredita.**

Constat dari in Ordine Praemonstratensi nonnulla monasteria orta ex acceptance ecclesiarum propriarum, curaeque animarum ipsis concredita.

Primum omnium monasteriorum Ordinis, cuius abbates ex expressa concessione Episcopi Leodiensis, confirmante etiam suprema Ordinis auctoritate, specialibus iuribus circa iura animarum gaudebant, est *Floreffia*. Huiusmodi iura communiter nomine iurium archidiaconalium veniebant et facultatem tribuebant abbatibus providere paroeciis monasterio commissis, moderari disciplinam cleri ministerio addicti, necnon administrare iustitiam et poenas infligere in nonnulla delicta in territorio paroeciarum patrata ¹⁾. Floreffenses abbates, virtute privilegiorum ²⁾, inde ab initio non solum potestatem veram iurisdictionis in proprios subditos religiosos ab episcopo Leodiensis acceperunt, sed etiam in populum ecclesiarum, monasterio concreditarum, potestate gaudebant quasi-episcopali ³⁾, licet haec potestas, iuxta disciplinam dioecesis Leodiensis, quoad ius synodo strictioribus ligata fuerit limitibus. Ita, in particulari, ipsis compete-
bat instituendi parochum seu vicarium paroecialem, unum ex suis religiosis vel ex sacerdotibus dioecesanis, sicut et ius corrigendi vel etiam amovendi eos propria auctoritate. Ius invigilandi et visitandi ecclesiam paroecialem, independenter ab auctoritate Archidiaconi et Decani, exercebant abbates. Quod ius synodum tenendi et in ea accusationes acceptandi contra graviores delinquentes, iudicandi et puniendi gravia crimina in paroeciis commissa, abbates simul cum

¹⁾ Cfr. J. LAENEN, *Notes sur l'organisation ecclésiastique du Brabant à l'époque de l'érection des nouveaux évêchés (1559)*, in: *Annales de l'Académie royale de l'Archéologie de Belgique*, V^e série, t. LVI, 1904, pp. 67-169; U. BERLIÈRE, *Les archidiaconés ou exemptions privilégiées de monastères*, in: *Rev. bénéd.*, XL, 1928, pp. 116-122; P. AMANIEU, art. *Archidiacre*, in *Dict. de Droit Canonique*, t. I, coll. 948-1004.

²⁾ Diploma Alberonis, Ep. Leodiensis, 1124 (ed. C. L. HUGO, *Annales*, I, Prob., col. LI); Alexandri, a. 1130 (ed. V. BARBIER, *Histoire de l'abbaye de Floreffe*, II, p. 7 s.). Fragmentum relativum vidimus apud eundem, *Droits archidiaconaux de l'abbé de Floreffe*, in *Analectes pour servir à l'histoire ecclésiastique de la Belgique*, XI, 1874, p. 474; Bulla *Iustus votis* Innocentii II, 21 dec. 1138 (ed. HUGO, *Annales*, I, Prob., col. LIII).

³⁾ Quoad distinctionem antiquam inter potestatem quasi-episcopalem et iura archidiaconalia et synodalia. Vide J. LAENEN, l. c. (n. 1), p. 74 s. 81 ss.

Archidiacono agere debuerunt. Absolutio vero excommunicatorum Episcopo reservata erat, cui poenitentes post peractam poenitentiam ab Archidiacono praesentabantur ⁴⁾.

Praeter Floreffiam, aliarum quoque canoniarum abbates seu praepositi obtinuerunt similia privilegia, etiamsi non omnes et in omnibus dioecesibus eiusdem extensionis exercuerint iura paroecialia.

Inter alia amplioribus facultatibus in cura animarum gaudebant :

Steinfeld, cuius praepositi inde ab a. 1121 a Friderico, Archiepiscopo Coloniensi, libertatem pro sua ecclesia obtinuit, postea a successore, Brunone, confirmatam, vigore cuius in paroecia *Steinfeldensi*, iuribus archidiaconalibus functus est, inter quos iure synodum tenendi seu sedendi pro tribunali super delicta contra leges ecclesiasticas patrata, et immunitate ab omni censu et servitio episcopali vel synodali ⁵⁾.

Inter monasteria orta ex concessione ecclesiae iam exstantis ex parte Episcopi, etiam annumeranda sunt : *Ilbenstadt* ⁶⁾, *Varlar* ⁷⁾, *Ursberg* ⁸⁾.

Ecclesia *Knechtsteden* baptismalis esse declaratur, sepultura tamen et administratio universorum sacramentorum conceditur colonis tantum et adterminatis ⁹⁾.

Terminis fere hodierni iuris determinatur iura circa provisionem paroeciae abbati *Grimbergensi* ab Episcopo Cameracensi conces-

⁴⁾ Cfr. V. BARBIER, *Droits archidiaconaux...*, I. c., p. 472 ss.

⁵⁾ Cfr. Bulla *Piae postulatio* Innocentii II, 10 dec. 1136 (ed. HUGO, *Annales*, II, Prob., col. DXXII). — Iisdem iuribus praediti fuisse probantur, inter alios, abbates Tongerloenses, iam a. 1133, in dioecesi Cameracensi (cfr. Chartam Burchardi, ep. Cameracensis, a. 1133, ed. HUGO, *ibid.*, col. DLXC (600). Interpretationem valde orthodoxam, vide apud H. LAMY, *L'abbaye de Tongerlo depuis sa fondation jusqu'en 1263*, Louvain, 1914, p. 340.

⁶⁾ Cfr. Diploma Adalberti, archiep. Moguntini, a. 1123 (ed. M. STIMMING, *Mainzer Urkundenbuch*, Darmstadt, 1932, p. 415). — Bulla *Ad hoc Ecclesiae*, Innocentii II, 12 dec. 1139 (ed. crit. A. WYSS, *Hessisches Urkundenbuch*, Leipzig, 1879-1899, II, I, p. 53), propter rasuras dubii valoris est. Quoad consuetudinem Archiepiscoporum Moguntinorum ampla condendi monasteriis iura paroecialia, cfr. U. BERLIÈRE, *Les archidiaconés ou exemptions...*, I. c., p. 119.

⁷⁾ Cfr. Charta Egberti, Monasteriensis episcopi, a. 1129 (ed. HUGO, *Annales*, II, Prob. DCLI (659).

⁸⁾ Cfr. Charta Herimanni, Augustani ep., a. 1130 (ed. *ibid.*, col. DCCVII (715).

⁹⁾ Cfr. Charta Brunonis, archiep. Coloniensis, a. 1134 (ed. *ibid.*, col. II).

sa ¹⁰). Ex tenore concessionis tamen patet sermonem fuisse potius de patronatu monasterii in ecclesiam monasterio concreditam, in qua curam animarum actualem, per vicarium cleri saecularis et non per proprium religiosum, ad nutum revocabilem, exercuit monasterium ¹¹).

Aspectus beneficalis in consecutione iurium paroecialium adhuc magis elucet in casu canoniae *Wiltinensis* cui Reginbertus, Brixinensis episcopus, « ut dignitatem et possessiones ecclesiae ampliet », baptismalem ecclesiam in villa Vilthinia sitam monasterio tradidit, administrationem vero praeposito Marquardo eiusque successoribus canonicis electis concredidit ¹²).

Iura paroecialia Praemonstratensium in ecclesia *S. Michaelis Antverpiensis* sat arcte circumscripta et taxative enumerata legimus in chartis, quibus conventio inter praepositum Hildolphum et canonicos Praemonstratenses fuit confirmata aa. 1124-1135 ¹³). Prout ex documentis constat, Praemonstratenses in Antverpia non paroeciam

¹⁰) *Abbas parochiam cuilibet sacerdoti boni testimonii committat, quem Episcopo per se vel per unum de suis fratribus ad suscipiendam populi curam praesentet, qui si peccaverit, vel fratribus in aliquo molestus fuerit, sicut ab Episcopo vel ministris eius, sic ab abbate removeatur vel corripiatur* (Charta Lietardi, ep. Cameracensis, a. 1132, ed. HUGO, *Annales*, I, Prob., col. DCIX (614). — Cfr. Codex Jur. Can., can. 454, § 5; 456.

¹¹) Approbationem pontificiam huiusmodi iuris exercitii prima vice in bulla *Apostolici moderaminis*, Lucii II, 7 nov. 1144, pro Roggenburg, O. Praem., concessa invenimus, sequentis tenoris: *Liceat autem vobis in parochialibus ecclesiis quas tenetis, de fratribus vestris, sive de aliis, sacerdotes constituere, quibus si idonei fuerint, Episcopi parochiae curam consensu vestro committant, ut eiusmodi sacerdotes de plebis quidem cura Episcopo rationem reddant, vobis autem de temporalibus debitam subiectionem exhibeant* (JAFFE-LOEWENFELD, *Regesta Pontificum ad annum 1198*, Lipsiae, 1885-1888, nr. 8662, ed. HUGO, *Annales*, II, Prob., col. CCCCXXXV). Postea confirmationes similes tenoris multiplicabantur. Sic inter primas, cfr. *Religiosam vitam* Alexandri III, 7 apr. 1175, pro *Bello-Locho*, apud JAFFE-LOEWENFELD, nr. 12.456 (ed. LALORE, *Collection des principaux cartulaires du diocèse de Troyes*, Paris, IV, 1878, p. 278; renov. 1 apr. 1188 a Clemente III (deficit apud JAFFE-LOEWENFELD), ed. J. RAMACKERS, *Papsturkunden in Frankreich*, IV, Picardie, Göttingen, 1940, p. 466; *Religiosam vitam* Clementis III, 1 apr. 1188 (Praemonstraten.). Cfr. JAFFE-LOEWENFELD, nr. 16.188 (ed. J. LEPAIGE, *Bibliotheca Praemonstratensis Ordinis*, Parisiis, 1633, p. 641.

¹²) Cfr. Charta Reginberti, a. 1140 (ed. HUGO, *Annales*, II, Prob., col. DCLXXXVIII, 696).

¹³) Cfr. Charta Hildolphi, a. 1124 (ed. J. GOETSCHALCKX, *Oorkondenboek der Witheerenabdij van St. Michiels te Antwerpen*, Eeckeren-Donck, 1909, I, blz. 1); Charta Burchardi, Cameracensis Episcopi, a. 1124 (ed. *ibid.*, p. 3 s.); Charta Lietardi, Cameracensis Ep., a. 1135 (ed. HUGO, *Annales*, II, Prob., col. CCI).

ipsam habuerunt, sed quibusdam iuribus in ministerio animarum frui sunt, quae necessaria videbantur ad hoc ut efficax praebeatur adiutorium in exstirpanda haeresi Tanchelmiana ¹⁴).

Ius sepulturae, ut voluntati benefactorum facilius possit satisfieri, illis quoque monasteriis generatim concessum est, in quorum ecclesiis ministerium animarum non exercebatur. Minor vel maior extensio huiusmodi facultatis clausulam « salva iustitia matricis ecclesiae » vel « parochianorum sacerdotum » fere semper pro adiecto habebat ¹⁵). Hoc ius aliquando ad familiam limitabatur monasterii late sump-
tum ¹⁶).

His praedictis fundati, habitudinem ad Episcopum quod attinet monasteriorum, quae curam susceperunt animarum in foundationibus, plerumque originis ecclesiarum propriarum (Florefe, Ilbenstadt, Grimbergen), vel collegiatarum (Steinfeld, Antwerpen, Wilten), concludere possumus abbates vel praepositos iuribus specialibus reapse gavisos fuisse, iuxta consuetudines varias dioecesium, maioris vel minoris extensionis, quae non solum designationem personae pro ecclesiis curatis sed etiam in pluribus disciplinam cleri et populi comprehendebant (iura archidiaconalia), imo aliquando ipsum ius institutionis canonicae (ius quasi-episcopale) secum ferebant.

Talis conditio iuridica abbatum et praepositorum, tamquam iurisdictione proprie dicta fruientium, non potuit non semel, et foris ipsorum non augere auctoritatem. Attamen, non semel, ipsa cura animarum arctioribus stringebat monasteria vinculis ad Episcopos, et viam aperuit non rarae intromissionis eorumdem in rebus internis monasteriorum (collisio, v. gr., officiorum adeundi synodum dioecesanam et Capitula generalia eodem tempore celebrata) ita, ut positio illorum monasteriorum quae ad formam vitae propendebant magis clausae, iam ex hoc quoque capite magis faverint constitutioni organisationis internae, fines dioecesium transcendentis.

H. MARTON, O. Praem.

¹⁴) Cfr. narratio Chartae Hildolphi, l. c.

¹⁵) Cfr. Bullae: *Ad hoc universalis* Innocentii II, 21 mart. 1138 (Laudunen.) (ed. LEPAIGE, l. c., p. 450 s.); *Quotiens illud* Innocentii II, 20 apr. 1139 (Poehlden.) (ed. HUGO, *Annales*, II, Prob. col. CCCLXXXVII); *Iustis votis* Coelestini II, 6 dec. 1143 (Praemonstraten.) (ed. LEPAIGE, l. c., p. 428); *Quoniam sine verae* Eugenii III, 23 dec. 1146 (Osterhofen.) (ed. HUGO, *ibid.*, II, Prob. col. CCLXXXIII).

¹⁶) Cfr. Charta Alexandri, Ep. Leod., a. 1131, pro Park (ed. J. VERSTEYLEN, in *Anal. Praem.*, V, 1929, p. 126).